

VVOLFFGANGVS PRINCEPS ANHALTINVS.



VVolffgangus ex illustrissima familia principum Anhaltinorū in Saxonia natus est 1492, 6 Iulij. patrem habuit Voldemarum, matrem uero Margaretham comitissam in Schuuartzenberg. Is à pueris bonis literis operam dedit, & mediocrem earum usum sibi comparauit. Inde cum parens 1508 obiisset, se rebus Politicis exercuit, & reguin atq; principum quoq; castra magna laude secutus fuit. quo factum, ut ob multiplicem rerum usum omnibus innotuerit, & inter principes magnam sibi autoritatem acquisierit. Cum autem pietati esset de ditissimus, & Augustanæ confessioni subscriptis, sepius Protestantium conuentui interfuit, & in primis Dei gloriam promouendam censuit. Vnde postea cum religionis causa 1546 per Germaniam esset bellum motum, ipse præsens interfuit, & nihil intermisit, quod boni ducis & strenui militis officium esse uideretur. Verum cum principum discordia Cæsaris fortuna augeretur, ipse quoque se ei tandem submisit, & cum eo in gratiam rediit. Postea quoq; magna prudentia suā ditionem administravit, suam familiam multis animi & corporis uirtutibus exornauit, atq; pudicè in coelibatu semper uixit, ita ut ab omnibus instar patris amaretur, & ueneraretur. ut meritò hoc loco eius honesta mentio facta sit. Er nestus Brottauff in Genealog. principum Anhaltin.